

su; hi verò ad certam & constantē normā; illi causas cur sic agant, non intelligent; hi verò intelligent & sint sapientes: Ars enim etsi à natura initiū sumat, tamē ea natura, quæ nunc est hominum post lapsum, ars est & certior dux & sapientior magistra.

Considerarunt id cordati & prudentes viri, qui ab his proximis octuaginta annis, quando pro insulsis ac fabulosis Monachorum Declamationibus, sacræ conciones populo Christiano reformatis publicè oratoriis ac cathedris redditæ ac restitutæ sunt, tot de ratione ac methodo concionandi tractatus & libros ediderunt, quot enumerare nō est proclive, nec huius etiam propositi. Vnum præ omnibus nominabo Erasmus Roterodamū; qui scriptis de hoc argumento libris quatuor, quibus Ecclesiastæ titulum fecit, omnium in hoc genere studia vel superavit, vel excitavit & adiuvit. Quid ergo, inquit multi, referebat te nunc eius argumenti tractationem suscipere? parcendum scilicet fuerat operæ & temporis, ne quod à tantis & tam multis ante actum est, nunc denuo ociose ageretur, à te præsertim, qui in ecclesiastico officio nunquam sis versatus, ita ut vix effugere posse videat-

videat-